



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133



Dum Dauid sequitur regem, Amalechitæ irruunt in ciuitatem quam rex Dauid dederat, forte iam sentientes inde sibi damna inferri, aut certe propter Israelitas illic hospicio susceptos, qui per Saulem genus ipsorum penè extinxerant, supra cap. 15. Nam & nunc dāna Iudæis intulerant, ut uides in uerbis serui Aegyptij. Quis hoc non iudicaret casum: sed dei prouidentia est, Deus facit abesse Dauidem, ut audeant aliquid Amalechitæ quos deus uult occidere, ut dictū cap. 15. Se quidem uindicaturi ueniunt, sed dei iudicio ueniunt ut occidantur, Dauid uero remittitur quasi consilio Philistinorū, sed deus ista efficit pro Dauide, quo soluat eum à periculo de quo supra diximus, & mittat eū in Amalechitas, ut hic prælietur prælia dei contra dei aduersarios quos Saul reliquerat. Atq; ad hoc prohibuerat dominus manus Amalechitarū, ne quem occiderent ex sicelitis &c.

Lapidare. quia senserunt propter Hebræos hoc sibi contigisse.

Et lassī quidam substiterunt.

Hæc erat tentatio fidei, sed pergit Dauid in uerbo dei quod audierat. Persequere &c.

Et inuenerunt.

Iste quoq; seruus abiectus fuerat quasi inutilis, sed ordinatione dei utilissimus ad negocium istud domini.

Vide uero hic q̄ qui uerbū dei habent quo solo fidunt, non interim negligunt humana, sicut enim utuntur armis sic & ministerio huius serui, in nullo tamen confidunt quā in uerbo dei, certi quidem sunt se comprehensuros hostes, sed quibus medijs & qua uia ignorāt, non ergo respuunt occasiones interim à deo oblatas. Ad quod interim dicimus contra novos spiritus quasi euangelicos, qui usum creaturarum damnant, quo tamen uelint nolint carere non possunt, cum deus nobis crearit creaturas, ut utamur, & solum prohibeat ne eis confidamus &c.

Iura mihi per deum.

De ista dei opinione in illis gentibus diximus cap. superiori. Iste seruus erat Aegyptius, Aegyptij erant ex Cham qui fuerat in arca Noe, vnde Aegyptus in psal. dicitur terra Cham, Præterea in cultu ueri dei optime instituti sunt Aegyptij regnante illic Ioseph, quemadmodum in psal. dicitur, Vt erudiret principes eius ut uellet, & senes eius prudentiam doceret. Neq; etiam fieri potuit, ut non multi ex eis docti fuerint aut salutem opinionem de deo Israel conceperint ex cohabitatione Hebræorum per quadringentos annos. Quid q̄ reliquæ Aegyptiorum, ex solis contra patres ipsorum miraculis factis, doceri potuissent &c.

Discumbebant. Impij dum quasi uictores exultant iudicio dei pereunt, voluit hic deus eos esse se

curos ut perirent. Pessimus.

Primū quia suis uiribus quod gestum erat arrogabāt, deinde necessitatem fratrum ferre non poterant, illic contra deum hic contra proximum agentes, atq; adeo contra omnia p̄cepta dei. Præterea manifesta erat lex Nu. 31. Tollite summam &c. sed ferè fit ut scripturas negligamus, Hinc ista lex hoc loco innouatur quasi nunquā ante seruata, Dominus prædam dedit non uiribus pugnantium sed populo suo, Hinc & ex præda gratificatur Dauid etiam omnibus suis amicis ut commune fiat gaudium propter casos dei aduersarios.

ALLEGORIA. Amalechitæ primū inuadunt filios Israel egrediētes ex tenebris Aegyptiorū, id est, regni principis tenebrarum, ergo occidendi sunt uerbo dei & nihil ex eis relinquendum, ne postea contra nos inualescant suis armis, id est, falsa interpretatione scripturarum quasi pro suis traditionibus, quibus conscientie libertatem nobis auferre conantur &c.

CAPVT XXXI.



Criptū est in psal. Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Non ergo refert qua morte interierit Ionathas iustus dū pugnat pro hereditate domini, iustus enim si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit &c. quæ legis de exitu iusti, iudicio mundi quasi